



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio V. Quomodo idiomata inter se prædicentur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

que difficilia. Sed ex eo potest responderi, Deum accipi posse vel secundum se: sub qua consideratione hæc propositio non est in materia necessaria: quia Deus secundum se rectè potest esse sine ea vnione. vel potest considerari Deus, quatenus est subiectum huius propositionis, *Deus est homo*: tunc enim non est subiectum secundum se præcisè, sed connotando prædicatum *homo*: at verò factà eà connotatione hæc propositio est in materia necessaria: quia Deus, in quantum verè est subiectum illius propositionis, non potest non esse homo.

§.29. Sed contrà: Nam licet verum sit subiectum quantum ad rem prædicatam, sumi eodem modo reali, quo sumitur prædicatum (alioquin propositio non esset vera; tamen quantum ad modum significandi, diuersa ratione accipiuntur: alioquin propositio esset identica, & inepta. quare in hac propositione, *Deus est homo*, Deus non sumitur in subiecto reduplicatiuè, in quantum terminat humanitatem: redderet enim hunc sensum, *Deus homo est Deus homo*: nam etiam ex parte prædicati sumitur *homo* cum respectu ad subiectum: sumitur autem *Deus*, quantum ad modum significandi, præcisus à terminatione humanitatis. de quo Deo sic præcisè prædicatur *homo*: prædicatur autem contingenter: quia totum illud subiectum materialiter consideratum potuit esse sine eo prædicato. quando autem queritur in qua materia sit propositio, & dicitur esse in materia contingenti, subiectum sumitur materialiter præcisum à prædicato. Confirmatur in hac propositione, *Petrus currit*: quæ iuxta hanc responsionem etiam erit in materia necessaria: quia Petrus vt afficitur cursu, non potest non currere: est autem in materia contingenti: quia Petrus in se consideratus ita currit, vt possit non currere.

§.30. Est igitur ea propositio in materia contingenti, vt Theologi communiter docent. Sed rogabis, an possit dici aliquo modo propositio accidentalis? Respondeo, physice esse propositionem substantialem: quia tota eius materia est substantia: neque desunt similes propositiones substantiales, sicut ista, *Materia prima est animata*. quæ propositio nihil significat de essentia materiæ, quia neque anima, neque vnio illius sunt de eius essentia: & tamen est propositio substantialis, quia nullum significat accidens, cum significet conceptus constituentes substantiam completam viuentem. eodem modo in hac, *Deus est homo*, significatur conceptus hominem constituentes, qui cum sit substantia completa, ex solis substantijs componitur. Dices, vnionem illam aduenire Deo completo in suo esse: ergo est accidens physicum: quia quidquid aduenit enti completo, est accidens.

§.31. Quæstione 2. & in Metaphys. negauit hanc consequentiam: quia non est de conceptu substantiæ, vt omnia entia, quibus aduenit, sint incompleta, sed sufficit extremum aliquod esse substantialiter incompletum: tunc enim tale complementum constituit substantiam, & spectat ad primum & adequatum conceptum illius. Nec potest dici accidere tali rei esse extra illius conceptum substantialem; nec id aduenire iam completè substantialiter in omni genere, quamuis alteri rei iam completæ adueniat: est autem de conceptu accidentis, vt nullam substantiam compleat, neque constituat in genere substantiæ; esto sit extra conceptum aliarum. Quod patet in opinione constituente duas vniones

*Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.*

in composito partiales, quarum altera completam materiam in suo genere, & non formam, quamuis formam attingat vt terminum: ergo non est de conceptu substantiæ complere omnia extrema, quæ attingit. Quod autem vulgò dicitur, *accidens esse quod aduenit enti completo*, est verum, cum aduenit illi soli: quia iam supponitur cum omnibus suis conceptibus, constituentibus substantialiter illud: vnde quidquid illi aduenit, est extra illos conceptus. est falsum, quando non aduenit vni soli enti completo, sed etiam alij incompleto substantialiter, vt contingit in præsentia.

§.32. Potest autem dici propositio logicè accidentalis: nam hoc accidentis genus non est verum accidens; sed potest esse substantia. imò ostendi in 4. prædicabili, posse duos conceptus ratione distinctos, & realiter identificados, prædicari, vnum quidditatiuè, & alterum accidentaliter logicè: quoniam in eo prædicandi modo, tantum significamus prædicatum non esse de primo logico & quidditatiuo conceptu substantiali: vt patet in attributis entis, alijsque infinitis. Dixi esse logicè accidentalem comparatione Dei, non verò respectu hominis, vt homo est: quia est illa vnio de primo conceptu hominis, licet non de essentiali; sed de primo substantiali pertinente ad metaphysicam compositionem. comparatione autem Dei reduci potest ad quantum prædicabile: non quòd sit accidens physicum, sed logicum, quod potest adesse & abesse absque corruptione suppositi in recto significati. Nec est prædicatio speciei de individuo, sed formæ quasi de subiecto, in concreto tamen: vt, *materia est viua, siue corpus viuum*.

## SECTIO V.

### Quomodo idiomata inter se prædicentur?

§.33. Deo Primò: De natura diuina nequeunt prædicari idiomata naturæ humanæ, sicut in abstracto significantur. Ratio est, quia significatum in recto ex parte subiecti nequit esse idem cum significato in recto ex parte prædicati. Dixi autem supra, hanc propositionem, *Deus est homo*, esse veram: quia in recto significatur suppositum, quod est idem in subiecto & prædicato. Quam rationem reddit S. Thomas in hoc art. & 5. quamuis P. Vasquez conatur illum exponere: sed frustra: quia S. Thomas clarè asserit, *Deum* in hac propositione supponere pro supposito similiter & hominem. P. Vasquez ait supponere pro natura suppositum concernente.

§.34. Dico Secundò: Proprietates naturæ humanæ, & actiones prædicantur in concreto de Deo. Hæc conclusio est de fide: ait enim Paulus 1. Corinth. 28. *Si enim cognouissent, numquam Dominum gloria crucifixissent*. Item Philip. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo, sed semetipsum exinanit, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*. Vbi illa exinanitio per humanitatè assumptam refertur ad Christum vt Deum, vt ostendat Deum exinanitum. Clavissimè autem dicitur in Symbolo, *Et in vnum Dominum, Iesum Christum, filium eius vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, &c.* referens quæ sequuntur ad ipsum Christum vt Deum,

Vv 2 de

S. Thom.  
q. 16.

de quo egerat, subiicit, *Per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, &c.* Itaq; ingenuus ille ante omnia saecula, & ille Deus verus de Deo vero, crucifixus est, mortuus, atque sepultus: ergo de Deo praedicantur proprietates naturae humanae in concreto.

§. 35. De homine autem praedicantur proprietates naturae divinae, quae sunt absolutae, & quae sunt propriae Verbi: quae vero sunt propriae aliarum personarum, non praedicantur: quia Christus non est Pater aeternus, neque generat, absolutae autem, quia realiter conveniunt Filio, possunt praedicari de homine Deo etiam in concreto, ut ista, *Homo est omnipotens, est filius Dei*, ut patet ex testimonijs supra adductis: *Dominus enim gloria crucifixus est*: sed homo est crucifixus, quia Deus secundum se crucifigi non potest: ergo homo est dominus gloriae. Deinde ex Symbolo: nam Deus dicitur mortuus, passus, & sepultus: id enim affirmatur de vnigenito ante omnia saecula: sed mortuus est homo. ut enim ait B. August. non poterat mori nisi homo: quia homo est vnigenitus ante omnia saecula, & per quem facta sunt omnia: ergo iste homo est omnipotens, aeternus, & vnigenitus Patris. Patet consequentia: quia iste homo ex suppositione quoddam per illum facta sunt omnia, habet omnipotentiam; & ex suppositione, quod est vnigenitus ante omnia saecula, est aeternus, &c. Deinde patet ex testimonio ipsius Christi probantis contra Iudaeos suam diuinitatem: loquitur autem non solum Deus, sed etiam homo: verba enim illa externa ab humanitate prodibant, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. quae verba satis intellexerunt Iudaei, sustollentes lapides in Christum conijciendos: quia inquit: *Quia tu homo cum sis, filium Dei te facis*. Idem, *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Itaque loquens Christus per humanitatem de se ipso homine Deo, dicit se esse ante Abraham, & semper operari cum Patre. Nonnulla autem praedicata, quae continent difficultatem inferius explanabo. Longam probationem ex Adriano, & Concilio Francfordiensi subiiciam disp. 82.

§. 36. Hic aduerte, nonnulla praedicata non posse communicari, nec per unionem alteri extremo, nec per idiomata ei quod ponitur in recto. Exempli gratia humanitas est extremum vnitum; quae dicitur *sancta, & subsistens*; at non dicitur, nec est *aeterna, immortalis, ens a se, &c.* ut ostendi disp. 47. quia nonnulla praedicata conuenire non possunt nisi per identitatem. eadem ratione humanitas non est *ens*, nec *existens*, nec *substantia* à Verbo in genere quasi causae formalis; quia *ens* & *existens* formaliter est vnumquodque per suam essentiam; à Deo autem efficienter: ut item homo albus non est *ens* ab albedine; nec materia est *substantia* à forma substantiali. quia isti conceptus sunt quidditatiui.

§. 37. Eadem ratione Verbum, quamuis ab humanitate est *homo*: quia humanitas denominat *homo*: at ab humanitate non est *substantia*, nec *ens*, nec *aliquid* sumptum quidditatiue: quia illa praedicata sunt quidditatiua, non vero denominatiua à quasi forma: Verbum enim se ipso est *ens*, *substantia*, & *aliquid*: at se ipso non est *homo*, sed ab humanitate.

§. 38. Obijcis Primum: Ergo Deus ab humani-

tate est nihil. Nego consequentiam: quia licet inter nihil & aliquid non est medium, quia opponuntur contradictorie: at inter esse ab alio nihil & aliquid est medium; nempe nec ab illo esse, nec non esse. Quia esse aliquid ab alio significat ab illo accipere esse: esse autem nihil ab alio, significat ab illo annihilari, seu destrui: at ego à Turca nec sum, nec destruo: nec ab albedine Antonij sum aliquid, nec nihil. Medium ergo est inter produci & corrumpi ab alio, nempe nec produci, nec corrumpi: quamuis inter absolute esse, & non esse, non est medium. Deus autem licet quidditatiue non est aliquid ab humanitate: at denominatiue est aliquid; ut ego ab albedine sum aliquid denominatiue, id est, *albus*: significat enim habere aliquem effectum formalem. Nec propterea Christus est nihil, nec phantasticus homo: est enim verissime homo vniocè nobiscum.

§. 39. Obijcis Secundò: Deus ab humanitate est *homo*: ergo est *substantia*, ergo *ens*. Probo consequentiam: quia ab homine ad substantiam est consequentia, ut ab inferiori ad superius. Nego consequentiam. Ad probationem, respondeo ab inferiori ad superius esse consequentiam, si accipiuntur eodem modo; secus, si diuerso. à puro homine ad substantiam est consequentia: quia accipiuntur quidditatiue: ab homine Deo ad substantiam, non valet: quia *homo* accipitur denominatiue; *substantia* vero quidditatiue. si à corpore, *substantia*, & *ente* accipiuntur nomina significantia effectum formalem communiatum quasi subiecto, ut accipiuntur ab humanitate, esset eadem consequentia, ut, *Deus est homo ab humanitate, ergo est animatus, ergo corporatus, ergo substantiatus, ergo entificatus*; quia omnes termini accipiuntur eodem modo: ita Verbum dicitur ab Ecclesia *Deus incorporatus*; incarnatio autem dicitur *corporatio Verbi*. Hic inter Catholicos non potest esse quaestio nisi de voce.

## SECTIO VI.

*Quid sentiendum sit de his propositionibus: Deus est humanatus: homo est diuinus: homo est Dominicus.*

§. 40. **D** Vrand. in 3. dist. 4. q. 2. n. 15. prope finem ait, Deum debere dici humanatum, si proprie loquendum sit: quia natura substantialis non potest nisi denominatiue de alieno supposito praedicari, quia nequit praedicari in quid: non enim constituit suppositum illud, sed iam constitutum denominat. Vnde in sententia Durandi, haec propositio est vera, *Deus est homo*; haec tamen in eius sententia est magis propria, *Deus est humanatus*.

§. 41. P. Valqu. disp. 63. cap. 2. tam acriter inuehitur in hanc sententiam Durandi, ut ferè ei haereticis maculam adspargat. Primum, quia in Concilio Francfordiensi damnatur ea propositio. Verum respondetur pro Durando Primum, in Concilio non damnari illam propositionem: haec enim sunt verba Concilij: *Quod etiam & insequentibus adiunxistis, in professione Niceni Symboli non inuenimus dictum: in Christo duas naturas, & tres substantias, & homo deificus, & Deus humanatus. Quid est natura hominum, nisi anima & corpus, vel quid est inter naturam & substantiam, ut tres substantias necesse sit nobis dicere, & non ma-*